



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

3. Ammonivs habens prauam consuetudinem falsò iurandi, si hanc retractant, & nihilominus inaduertenter iuret, non peccat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

Resp. Vitalem non obligari ad reparatio-  
nem damni. Ita Card. Lugo *de Iust. D. 8. n.*  
*92. Less. c. 7. de Iust. n. 32. & alij.* Ratio est,  
quia eadem planè est ratio cum his famulis,  
quæ est cum Iudice, Advocato, Medico, at-  
que alijs Officialibus, vt testantur *cit. AA.* At-  
qui isti non tenentur ex culpâ levi, vt habet  
communis Theolog. & docet Clarus *L. 5.*  
*pract. criminalis. §. fin. q. 73. n. 3.* vbi alios *AA.*  
affert. Ergo nec famuli obligantur. Differen-  
tia inter Officiales (quo nomine famulos  
venire recéns diximus) & conductores sumi-  
tur ex citatis legibus ciuilibus, quæ de officio  
& famulatu non idem asserunt, quod de  
contractu, vtut aliàs spectando ius naturæ ea-  
dem videatur vtriusque ratio, vt rectè aduer-  
tunt Lugo *loc. cit. & alij.*

Atque ex his patet ad rationem in contra-  
rium; nam vniversim negamus, ex quouis  
contractu in vtilitatem vtriusque surgere ob-  
ligationem damni reparandi ob culpâ etiam  
leuem iuridicam; cum *LL.* ciuiles aliter circa  
contractus officialium, adeòque & famulorû  
disponant, etsi in vtriusque vtilitatem etiam  
cedant.

III. *Ammonius habens prauã consuetudinẽ falsò*  
*iurandi, sæpe quidẽ sic iurat, sed prorsus inadver-*  
*tenter, & ex subito animi motu atq; ira impetu.*  
*Queritur. An committat peccatum in se mortale?*

Videtur tale committere. Ita Caietan.  
Navarr.

Navarr. in *sum. cap. 12. n. 6.* & alij. Quia inadvertentia illa non excusat Ammonium, cum etiam advertens similiter peieraret.

Resp. I. Si Ammonius vel non habuit pravam consuetudinem falsum iurandi, vel hanc per dolorem retractavit, iuramentum falsum inadvertenter prolatum non fore peccaminosum. Ita ex comuni Suarez *Tom. 2. de Rel. L. 3. c. 7. n. 5.* cum illud nullo modo sit voluntarium. II. Si vero habeat pravam consuetudinem falso iurandi, & hanc non retractavit, iuramentum factum etiam inadvertenter, & ex subito iræ impetu prolatum, esse peccatum mortale, non quidem in se, sed in voluntate, quam habet, non remouendi consuetudinem, Ita Sanch. *L. 3. in Decalog. c. 5. d. n. 28.* Palao *Tr. 14. D. 1. pun. 9. n. 5.* & alij. Ratio est, quia iuramentum illud, nec directè & in se est voluntarium, ut patet: nec indirectè, hoc ipso quod non fuerit potestas illud vitandi. Ergo solum in causâ non amotâ, prava scilicet consuetudine. Hanc consuetudinem si Ammonius sæpius admonitus emendare non laboret, non posse ipsum absolvi, cum plurib. Theolog. putat Suarez *loc. cit. c. 8. in fin.* Sed mitius & rectius sentit Sanchez *L. 2. in Decal. c. 32. n. 45.* loquens de blasphemiâ, quia ob peccata, quæ non pendent ex occasione extrinsecâ, sed intrinsecâ peccatoris fragilitate, non est absolutio vel neganda, vel

*Selectorum Casuum Conscientie.*

15

vel differenda, cum dolendo de peccatis satis pœnitens se disponat.

Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

IV. *Anastasia durissimè tractatur à viro suo, quæ idcirco sepe sibi mortem imprecatur. Quæritur. An peccet?*

Videtur mortaliter peccare. Ita Navarr. in manual. c. 15. n. 15. Tum quia non est Domina vitæ suæ. Tum quia est contra Charitatem sibi debitam.

Resp. Anastasiam non peccare. Ita Sancius in select. D. 2. n. 9. & alij. Quia potest afflictionem hanc prudenter censere maius malum, quàm ipsam mortem. Imò alios quosuis ex indignatione & impatientiâ mortem sibi deliberatè imprecantes non peccare mortaliter, existimamus contra Dian. P. 5. Tr. 14. R. 92. & probamus tum exemplo Eliæ 3. Reg. 19. Ionæ cap. 4. &c. tum quia sensus verborum illorum alius non est, quàm *malum mori, quàm tales molestias pati.*

Ex quo patet, nec dominium Dei in vitam nostram, nec charitatem nobismetipsis debitam violari. Cæterùm ex communi Theolog. apud Bonac. in Præcep. IV. Decal. D. 5. Q. vnic. p. 6. num. 1. peccat graviter Maritus Anastasiæ tam duriter hanc verbis & verberibus tractando, cum vxor non vt serua vilipendenda, sed vt socia sit amanda & honoranda  
(sunt